



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Aqvæ Vitæ, De Fontibvs Salvatoris. hoc est, Doctrina
Evangelica De Meditatione mortis**

Kispenning, Henricus

Antverpiæ, 1583

Figura vi. Man, seu Mannæ, Exodi xvi. xciii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46214)

mus. Omnes nos quasi omnes errauimus, unusquisque in viam suam declinavit: & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum. Ita Legis aqua, dominica Crucis ligno temperata, omne quod triste videbatur ac rigidum, vertitur in dulcedinem: statimque Lex amaritudinem suauitate commutans, dulcem se cunctis prestat ad bibendum. Quin & AQVÆ MARATH imaginem habent erumnarum huius mundi: qua omnia dulcescunt Passionis dominica contemplatione. Cur enim murmuremus nos & impatientes simus, cum videmus Dominum & Magistrum nostrum tam duram sustinuisse Crucem? O vos omnes, inquit in Ieremia, qui transitis per viam, attendite & videte, si est dolor sicut dolor meus. Et iterum: Recordare paupertatis meae, abinthij & fellis. Et in Euangelio dicit: Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis: Non est seruus maior Domino suo. Propterea S. Paulus monet, ut per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in autorem fidei, et consummatorem IESVM, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem.

Thren. 2.

Thren. 3.

Ioan. 13. 15.

Heb. 12.

FIGURA VI.

MANNA typus Christi. Exodi 16.

Dixit Dominus ad Mosen: Ecce ego pluam vobis panes de cælo: egrediatur populus & colligat que sufficiunt per singulos dies, &c. Appellauitque domus Israël nomen eius MAN: gustusque eius quasi similæ cum melle.

FIGURÆ EXPLICATIO.

CAPVT
XCIII.
Psal. 77.
Sap. 16.

Ingressos solitudinem filios Israël Deus per quadraginta annos MANNA, id est, cælesti pane saturauit. De quo Psalmista canit: Panem cæli dedit eis: panem angelorum manducauit homo. Et in libro Sapientie dicitur:

car: Angelorum esca nutritiſti populum tuum: &
 panem de celo præſtitisti illis sine labore, om-
 nium delectamentum in se habentem, & omnis saporis
 puritatem. Est autem MANNA typus Christi, qui est
 verè MAN, id est donum. Sic enim Deus dilexit mun-
 dum, ut filium suum unigenitum daret: ut omnis qui
 credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.
 Ideo Christus ipse se panem vita nominavit, dicens:
 Amen amen dico vobis, Quis credit in me, habet vi-
 tam æternam. Ego sum panis vita. Patres vestri man-
 ducaverunt Manna in deserto: & mortui sunt. Hic est
 panis de celo descendens: ut si quis ex ipso manducaue-
 rit, non moriatur. Ego sum panis vivus, qui de celo de-
 scendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æter-
 num: & panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi
 vita. Quàm dulce est autem quod in Exodo sequitur:
 Dixit Moyses ad Aaron, sume aureum vas unum: mit-
 te tibi Manna, & repone coram Domino ad servandum
 illud. Considera, oro, diligentius, quid in hac particula
 reconditum sit. Nam quoniam verum Manna illo sen-
 sibili figuratus est Christus: necessariò docetur, quia glo-
 ria & virtute plenus est, qui Christum in seipso recon-
 dit: qui Iesum in corde per Veritatem & Fidem rectam
 fixum firmiter gerit. Audis enim, quomodo vas aureum
 per Aaron impletur Manna, & coram Deo ad per-
 petuam conservationem reponitur: pia enim anima,
 qua Christi fidem suscepit, qua totum in seipsa cœlestem
 thesaurum condidit, pretiosum atque aureum vas est:
 & à Pontifice omnium Deo Patri offertur: servabi-
 turq; in conspectu eius in æternum.

Ioan. 6.
 Ioan. 6.
 Cyrill. in ca.
 6. Ioannis.

FIGVRA